

nes fuisse, & à Baccho relatam inter sydera ferunt, ideoq; Gnosiam appellant. In hac una reliquis splendidior tanquam gemma emicat Hercules, uel ut alijs placet Theseus, uel ut item alijs Thamyris. Quod signum, quia quasi ingeniculatum cernitur ἐν γόνασι Græcis, recentioribus Saltator dicitur. Lyra quæ & chelys & fidicula, recentiores uocant Vulturem cadentem & tympanum & falconem. Clara in hac stella ponitur signi nomine Lyra. Auis, græci ὄρνιθα itemq; κύκνον, unde & Olorem latini, necnon Ciconiam dixerunt. Cepheus Calsiepeæ maritus, quæ post ipsum memoratur, recentioribus est inflammatus. Andromeda horum filia, hanc cathenatam uocarunt Perseus Andromadæ liberator. Ita enim historias illas mandarunt memoriæ picturis quasi literis, is falcatum manu ensem tenet, id est, ἀπλω, dextra quidem, sed sinistra caput Gorgonis, quod nunc Algol uocant. Auriga idemq; Agitar describitur, quasi habenas retinens, itaq; Græci ἰνιόχοι nominant. In hoc sunt Cassiopeia, id est, αἶξ & hædi ἑριφοί. Serpentarius qui & angui tenens nam serpentem siue anguem manibus uidetur cōstringere, Asculapium esse uoluerunt, græcis est ὄφιςχος. Sagitta siue tælum, Dæmonem meridianum uocarunt, qua uoce Galaxiam aliquos appellasse uideo, in cuius splendidissima parte hoc telum cernitur. Aquila recentioribus. Vultur uolans. Delphin uel Delphinus, huic accommodant fabulam Arionis. Equi caput siue rostrum, Græcis προτομή, dixerunt & equuleum, & priorem ac minorem equum, Equus, quem Pegasum, & maiorem equum & uolantem & alatum nominant. Triangulum quod δελταπύριον dicunt.

### Sequuntur signa seu simulachra Australia.

Cetus itemq; pristis & Balena, Eridanus fluuius, aliqui Nilum maluerunt, recentiores Geon & Padum. Lepus, huc refertur prouerbium, Carpathius leporem. Orion, hæc constellatio ueteribus latinis Iugula est, recentiores sublimatum, & fortissimum nominarunt. Canis idemq; Sirius, etli stellam Sirion aliqui esse uolunt, uideo autem stellam in hoc simulacro Caniculam à ueterib. dictam, quæ cum Leone oritur. Quamquam Plinius nominarit Caniculam qui esset προκύων, id est, Canem minorem, sed nos ueteres sequi maluimus, προκύων stella clara, quæ ante canem exoritur. Cicero antecanem interpretatus est. Argo nauis Iasonis, hanc à recentioribus inuenio Arcam Noe dici. In hac clara stella Canobus non exoritur nobis. Centaurus, quem Chirona esse uolunt, iustissimum herosa, alij Pholon dicunt hospitem Herculis, huic fera quæpiam, græcis θηρίον additur, aliqui Lupum dixerunt. Ara, recentiores Thuribulum nominant & puteum, itemq; Sacrarium, nulla nobis parte sui exoritur. Hydrus aquaticus anguis, sed & hydram dixerunt, recentiores Magnanimum. Ad hoc signum apponitur Coruus & Vrna, id est κροτήρ. Fabula autem originis etiam ab Ouidio exposita est Fastorum secundo libro. Corona australis, quam alij οὐρανόσκορον, id est, paruum coelum, alij rotam Ixionis dixerunt. Piscis meridionalis uel νότιος. Via lactea qua iter finxere poëtæ dis esse ad Iouis regiam, inter circulos ponitur γαλαξίαν uocant Græci, sed quia hic solus circulus apparet, neq; cogitatione tantum ut reliqui, sed uisu quoq; percipitur, licebit inter simulachra siue imagines numeremus. Hunc ueterum aliquos inuenio in sphaeris non depingere solitos. Neq; enim alia quoq; nunc ita faciunt ut ueteres, sicut est descriptio Arctici circuli includentis semper apparentia signa, & tangentis finitorem, quod nunc non obseruant sed hæc huius loci non sunt. Hoc sciendum de quinque circulis quos æquidistantes diximus, propterea quod nullus in alterum incurrat, designatas esse quinque zonas, id est cingula quibus plagæ mundi describerentur. Et prima quidem zona βόρειος est, id est septentrionalis, qua terræ correspondent Arctico circulo, nam quicquid huic inclusum esset, propter frigus habitari posse non putarunt. Opposita

autem